



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De his, quae beatam virginem Mariam mysticè designant, & de beneficijs  
humano generi per eam collatis, cap. primum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

# DE SANCTA MARIA LIBRI SEPTIMI

## CAPUT PRIMUM.

*Figure  
de B. Ma-  
ria Virgi-  
no.  
Apec. 18*



### CAESARIUS.

*Num. 17  
Exod. 3.  
Iudic. 6.  
3. Reg. 10  
Cant. 4.*

OANNES in Apocal. vidit mulierem amictam sole, & lunam sub pedibus eius, & coronam duodecim stellarum in capite eius, atque in utero habentem, quæ clamabat parturiens, & cruciabatur ut pareret, & cetera. Mulier hæc per Ioannem visa, virgo est sancta Maria, sole lucidior, fulgore caritatis, luna superior, id est mundo, ex contemptu gloria secularis; omnium virtutum stellis tanquam diademate gemmato coronata, & quod illis dignius est, diuino partu fœcundata. Hanc designant per exemplum mons, castellum, aula, tēplum, thalamus, & ciuitas, palma, cedrus, vitis, rosa, & cuna istis numerosa nominum nobilitas. Miror in huius gloriosæ virginis designatione virgam floridam, & rubum inter flamas videntem, vellus madidum Gedeonis, thronum eburneum ac deauratum Salomonis, fontem signatum, hortum conclusum, & alia quam plurima, quæ breuitatis studio sunt omittenda. Sicut etiam in creaturis uniuersi matre creatoris nil est sanctius, nil dignius, nil precelentius; ita eius visione nulla sanctorum visio dignior, nulla iocundior, nulla eminentior. Cuius preces, ut quidam ait, vitia, cuius nomine tristia, cuius odor lilia, & cuius vincunt labia fauum in dulcedine. Super nucem sapida, & super niuem candida, super rosam roscida, super lunam lucida, veri solis lumine. APOLLONIVS: Beati vero & ter beati, qui tantæ Virginis visione digni habitu fuerint letificari, & sermone iocundari, oratione consolari, benedictione confirmari. CAESARIUS: Hoc pleniùs noscet per exempla. Audisti iam ex parte

ex parte

ex parte signas & ænigmata; vis nunc scire qualia &  
quanta mundus per ipsam consequatur beneficia? *Beneficia*  
**A**POLLONIVS: Nihil plus sitio. CÆSARIUS: Ipsa est or-*qua per*  
bis conseruatrix, & tribulorum consolatrix, fida sibi  
famulantum defensatrix: per ipsam peccatores illu-*B. Virgi-*  
minantur, desperati ad confessionem reparatur, apo-*nem tri-*  
statæ à Deo per ipsam Deo mirabiliter reconcilian-*buuntur*  
tur, iusti reuelationibus consolantur. Nomen eius, &  
memoriale eius, morbos sanat, dæmones fugat, vin-  
cula soluit, timores pellit, tentationes compescit. Per  
ipsam pusillanimes confortantur, torpentes excitan-  
tur, eieci misericorditer reuocantur. Diligentes se di-  
ligit, imò diligendo præuenit & honorat, & contem-  
nentes se, quia iusta est, punit & humiliat. Apud ipsam *Ecli. 27.*  
ele&uaria sunt confortatiua, vnguenta sanatiua. No-  
men eius super mel dulce, & hæreditas eius super mel  
& fauum. Morientibus assistit, & mortuorum animas  
ad vitam perducit æternam. APOLLONIVS: Licet  
omnia hæc credam de illa, vellem tamen mihi eadem  
exemplis elucidari. CÆSARIUS: Quæ à viris audiui  
religiosis tibi referā, ipsius ut spero oratione adiutus.  
Quod verò mundus eius meritis precibusque conser-  
uetur, binis tibi pandam exemplis.

## CAPUT II.

**A**nte hós annos, quando validi illi fuere venti *Mundus*  
atque tonitrua, quorum mentionem feci in *cōseruat*  
distinctione quarta capite 21. cùm in quadam *sua inter*  
Ecclesia prouinciæ nostræ populus staret, & diuina fa-*cessione*  
cerdos celebraret, imago Dei genitricis tam vehemē-  
ter sudare cœpit, vt astantes notarent & mirarentur,  
atque ipsæ sudorum guttæ peplos matronarum exter-  
gerentur. Nutu Dei obseissus eadem hora adfuit, re-  
quisitus de causa, hoc respondit: *Quid statis admiran-*  
*tes?* Filius Mariæ manum extenderat ad ferendum,  
quam si non ipsa tenuisset, mundus iam minimè sub-  
sisteret. Ecce hæc est causa sudoris. Et territi sunt om-  
nes audientes verba tam stupenda. Hæc mihi relatæ  
sunt à quadam Abbatæ religioso ordinis nostri, tunc  
temporis recenter gesta.

## CAPVS